



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Sectio Sexta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

illud os ostendet læsæ Maiestatis reus ? aut quâ fiducia misericordiam imploraturus est, primùm de contemptu misericordiae iudicandus ? quàm vana tunc erit & inanis apparebit adolescentiæ iactantia ? quàm acerba voluptatum recordatio ? Nunc eadem potius cum gustu sensuque pœnitudinis ruminemus ; & Ecclesiastæ monitis auscultantes, quæ tunc acerba futura sunt, eorum nunc inordinatos appetitus ac frustratoriam vanitatem detestemur.

## SECTIONO SEXTA.

## ECCLESIASTES.

<sup>a</sup> Variabilis  
& Olympi-  
od. super-  
biam

VERSUS 10. Aufer<sup>a</sup> iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tuâ. Adolescentia enim & voluptas vana sunt.

## METRICA PARAPHRASIS.

**S**I tam minaci fronte præteritæ exigit  
Momenta vitæ præpotens mundi Arbiter;  
Si tam seueræ lancis arbitrium subit  
Feruor iuuentæ, lege postquam adamantinâ  
Fatalis hora clausit extremum diem;  
Ferox iuuentus sana meditari incipe:  
Compesce flammam, spiritus truces doma,  
Furiasque reprime, nè ve feruescens cruor,  
Ratione mersâ, temet eripiat tibi:  
Nœu te Diones illici vultu puer  
Lasciua torquens iacula, & hamatos iocos  
Veneris pudendo vile mancipium gregi  
Transscribat. O. quæ toxica incautis procax

Miscet

Miscet voluptas, flore primæuo incluta  
 Dum vernat ætas! O quibus facibus sirens  
 Generosa iuuenum studia pessumdat Venus!  
 Et corda calo nata collidit solo,  
 Penitas medullas igne lubrifico vorans!  
 Non sic amœna prata dispoliat vapor,  
 Dum seruet æstu media solstitij dies,  
 Noctemque breuibus Luna præcipitat rotis;  
 Non sic honore frondium ornatum nemus  
 Spoliat superbis flamma populatrix comis;  
 Non emicantes fontium è venis aquas  
 Ita sorbet alto Sirius latrans polo,  
 Ut ignis ille Cypridis depascitur  
 Animi vigorem, & corporis succum bibit.  
 Fuge, fuge pestem, sperne mendaces iocos,  
 Vanisque tandem detrahe illecebris fidem.  
 Aëra serenum spondet? at nubes dabit.  
 Risum propinat? perpetes fletus time.  
 Præfert rosarum purpuram? spinas caue.  
 Habet hoc voluptas, corda pellaci dolo  
 Mulcet fruentum: parque mellifici gregis,  
 Tbi grata mella fudit, in tennes Notas  
 Fugit, ac tenaci sauciat morsu fibras.  
 Quin fugiat autem florida ætatis comes,  
 Cum fugiat ipse florida ætatis vigor?  
 Quid enim inuentus? Ludus Æolidum, vapor,  
 Versicolor iris, bulla spumantis freti,  
 Et si quid aliud orbe vix natum perit.  
 Non sic ad Austri turbinem primum rosæ,  
 Aut vngue messæ lilia exspirant, neque  
 Sic prima siluam forma destituit, cui  
 Nudum cacumen vernus inuestit tepor;

Hhhhh

Ut

Ut flos iuuenta atteritur hostili die.  
 Sensim senecta debili adrepit pede,  
 Frontemque rugis asperat: squalent gena,  
 Languent ocelli, verticis canent niues,  
 Exincta roseis purpura expirat labris,  
 Decus omne vultus interit. Velut nouo  
 Dum vere laxat terra purpureos sinus,  
 Gratumque Zephyrus rebus adspirat decus,  
 Si fors rigentes excutit pennas gelu  
 Populator Arcti, aut umbre bacchatur Plias;  
 Exspirat omne, quidquid animarat prius  
 Lenis Fauoni spiritus. Age nunc ferox  
 Aetate iuuenis, fructu mendaci bono.  
 Nec te voluptas umbre lacrymarum eximet,  
 (Non alia plures turget in fletus Hyas).  
 Nec te iuuenta nomen eripiet noci.  
 Inane nomen! Quisquis est fato suo  
 Maturus, illum iure dixeris senem.

## PROSA EXEGESIS.

**S**i ne nomen quidem suum tueri possunt, quæ tanto  
 in pretio ab hominibus habentur; si neque tantum  
 vigoris inest adolescentiæ, ut adolescentia vocari possit;  
 nec tanta suauitas voluptati, ut voluptatis nomine cen-  
 seri; nonne summo iure pronuntiauit Ecclesiastes,  
*Adolescentia & voluptas vana sunt?* Atqui rem ita se  
 habere, tum ex ipsâ conditione naturæ, tum maximè  
 ex consideratione extremi iudicij (cuius terrorem præ-  
 cedenti versu expendimus) negotij nihil est demon-  
 strare.

Nicander  
 in The-  
 riadis.

Et quidem quod attinet ad adolescentiam, libenter  
 fabulam illam prætermitto, quam refert Nicander, Io-  
 uem

uem illustre munus iuuentutem dedisse mortalibus: at illos, itineris labore fessos, illud asini dorso gestandum imposuisse: qui cum siti æstuans ad fontem peruenisset, & à dipsade aquis prohiberetur, tandem aquæ pretium iuuentutem, quam dorso gestabat, serpenti tradidisse, & ex eo tempore mortalibus inane iuuentutis nomen relictum, ceterum & morbos, & senectutem, & malorum iliadem humanum genus inuasisse. Sed hæc, ut dixi, fabulosa sunt: illud verius dicam, primos parentes nostros à serpente circumuentos, & vigorem iuuentutis amisisse, & infinitam morborum ac miseriarum catenam cum ipsâ demum morte traxisse: adeò ut iam nihil aliud sit vita mortalium, quam mortis victima, spoliū temporis, trutina calamitatis.

*Iuuentutis  
vigorem  
peccato  
protegi-  
mus.*

Quid enim in vitâ, atque adeò in iuuentute reperitur eximium? an robur corporis ac valetudo? quam nullo negotio hanc aut febricula exhaurit, aut ventus deiicit, aut catarrhus suffocat, aut externa denique vis opprimit?

*Robur iu-  
uentutis  
infirmum.*

An fortassis externâ specie, formæque dignitate iuuenis insolescit? Sanè hoc esse familiare iuuenibus, & hîc insinuat Ecclesiastes, dum ait, *Aufer iram* (vel, ut alij interpretantur, superbiam, tumorem, arrogantiam) *à corde tuo*, & apertè docet Chrysofomus, Externa, iniquiens, pulchritudo plena est arrogantia & insolentia, habetque voluptatem ad vnum alterumve mensem, aut ut summum ad annum: sed mox consuetudine obsolescit miraculum; quæ verò è pulchritudine mala pulularunt, fastus scilicet & arrogantia, permanent.

*Iuuenes  
propter  
pulchritu-  
dinem su-  
perbiunt.*

*Chrysof.  
Hom. 20.  
in Epist. ad  
Ephes.*

Sed, ut rectè notat Philo Iudæus, ob speciem corporis sese efferre insolentius, & laudes hominum captare, hominis est parum sui compotis, cum vsque adeò breui

*Philo lib.  
de Proui-  
dentiâ.  
Vanum est  
propter for-  
mam super-  
bire.*

H h h h 2

tem-

temporis spatio extingatur, vt antequam efflorescat, defloruisse videatur. Fluxa enim & fragilis est formæ gloria, ait Sallustius; & Seneca:

Sallust. in  
Catilina-  
riâ.  
Seneca in  
Hippol.

*Heu! fulgor teneris qui radiat genis  
Momento rapitur, nullaque non dies  
Formosi spoliū corporis abstulit.  
Res est forma fugax. quis sapiens bono  
Confidat fragili? ———*

*Es viro  
indignum.*

Quò magis admirari subit cincinnatulos illos, glabrosque alienæ voluptatis, gulæque administros, quibus circa speculum pectinemque semper occupatis, plus curæ est vt comptiores sint quàm vt honestiores; quibus tot bonæ horæ pereunt, cum de singulis capillis in consilium itur, & vossellâ decerpitur si quid proximâ nocte succreuerit; qui denique, in proprium dedecus, quàm possunt diutissimè cum ætate luctantur, vt in vultu glabro alieno tempore pueritia splendeat. An est quidquam in orbe tam vanum?

*Voluptas  
vili est.*

Seneca lib.  
de Vitâ  
beatâ, c. 5.

Idem E-  
pist. 92.

Sed videamus, an aliquantò plus in ipsâ voluptate sit voluptatis. Duobus hæc maximè vitiis fouetur, gulâ scilicet & libidine. Vtraque pecoris bonum est. Quis enim mortalium, ait Seneca, cui vllum superest hominis vestigium, per diem noctemque titillari velit, & deserto animo, corpori operam dare? Deinde, quis illum, non dico inter viros numeret, sed inter homines, cuius summum bonum saporibus, & coloribus, & sonis constat?

*Voluptas  
perniciosa  
est.*

Quid, quòd non vana tantum, sed etiam pernicio-  
sa voluptas est? Certissimum enim voluptatis vecti-  
gal morbi sunt; nec aliud ventris sagina, quàm mise-  
riarum officina. Postquam enim non ad tollendam,  
sed ad irritandam famem quæsitæ sunt mille delicia-  
rum

rum condituræ, quæ desiderantibus alimenta erant, iam plenis onera ac nauseantibus esse cœperunt. Inde pallor, ait Seneca, & neruorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus quàm ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & semper, qualis in ipsâ ebrietate, titubatio: inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus, tabesque in se putrescentium, & retorti digiti articulis obrigescentibus, neruorum sine sensu iacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta, & cerebri æstuantis verminationem, & omnia, per quæ exoneramur, internis vlceribus affecta? Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ? tantum scilicet pœnarum in orbem inuexerunt, qui terrâ marique vastatis, prædisque artificio conditis, naturam expulerunt.

Et hoc voluptatem vocant? Certè insignem eius vanitatem agnoscamus necesse est, quando de ipsâ nominis possessione meritò controuersiam fieri videmus. Quod multò etiam redditur manifestius, si, quæ præcedenti Sectione dicta sunt, in memoriam reuocemus, & non minùs adolescentiam, quàm voluptatem, fatali illâ tubâ ad supremi Iudicis tribunal citemus.

Nam, vt omittam, adolescentiæ incrementa vitæ esse decrements, quanam est illa tam proterua tanque contumax adolescentia, quæ peremptorio mortis decreto à supremo Iudice citata, nomen suum audeat tueri? Quid enim ad senectutem interest, vnius, an decem, an centum annorum vitâ finiatûr, postquam mortis necessitate decretâ, ad extremum vitæ marginem peruentum est? Certè si nulla datur in hac citatione tergiuersatio, omnes æquè maturi mortique vicini sumus.

H h h h 3

Frustrâ

Luc 12, 19

Frustrà igitur sibi Diues ille Euangelicus blanditus est, longamque pertexuit annorum seriem, cum dixit: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Frustrà, inquam, sibi blanditus est, dum audiit citatoriam illam vocem: *Stulte, hac nocte animam tuam repetant à te: quæ autem parasti, cuius erunt?*

Sueton. in Tiber. c. 27

Frustrà Drusus, Tiberij Claudij filius, Iuuentutis Princeps nominabatur, dum pyro per lusum in sublime iactato, & hiatu oris excepto, strangulatus est, & amplissimam Romani Imperij spem in herbâ suffocauit. Et ne singula persequar, constat ex tabulis publicis, plures omnino infra quàm supra mediæ ætatis florem demerit. Quis est igitur iste flos ætatis, quo se tam insolenter iactat adolescentia? aut quorsum senectus aut in voto nobis est, aut in metu, si ad nutum supremi Iudicis omnis hora senectutem nobis repræsentat?

Voluptas  
vana est,  
cum à Deo  
iudice cita-  
mur.

Dan. 5, 25.

Nec minor voluptatis, imò multò maior apparet vanitas, postquam ad horrendum illud tribunal ventum fuerit. Quære ex Balthasare, quis illi gustus sensusque fuerit conuiuij, postquam hanc imminentis exitij sententiam intellexit: *MANE, numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud: THECEL, appensus es in statera, & inuentus es minus habens: PHARES, diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* Quære ex Israëlitis, quæ voluptas fuerit carniùm, in solitudine importunis querelis extortarum, quam tot millium necerunt. *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos,* ait Propheta.

Psal. 77, 30

Libido va-  
na est, si  
flammas  
Sodomiti-  
cas, imò &  
aternali n-  
ucamur.

Et quoniam de venereâ voluptate potissimum agit Ecclesiastes, cum ait, *Amoue malitiam à carne tuâ;* quære à Pentapolitanis, possitne voluptas illa nuncupari, quæ totius regionis excidium, & Gomorrhæas illas expiatri-

ces

ces flammâs peperit. Sed multò clariùs vanitas huius voluptatis elucescet, si ad æternas flammâs mentis oculos conuerterimus, quibus illa Sodomiticæ præluferunt. Sunt enim qui asserant, eorum plerosque ne tanti quidem supplicij acerbitate ad pœnitentiam conuersos, æterna inferorum supplicia in illis suis ignibus exorfos fuisse.

Plures eiusmodi possem in medium proferre, qui hac ætate in ipso adulterij complexu trucidati, ad feuerissimum illud tribunal abrepti sunt, aut qui, deserto Religioso instituto, postquam se diu omnium libidinum cœno conspurcassent, in ipso lupanari infelicem spiritum exhalarunt, haud dubium, quin illo supremæ sententiæ fulmine percussi: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Apoc. 18, 7

Et hæc voluptas vocatur? nec adhuc eius vanitas repudiatur? *Filij hominum, & quequò graui corde? ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium? Quid vos inani, imò perniciosâ voluptate ingurgitatis? Potest aliquis gustare, quod gustatum adfert mortem?* Sanè plus prudentiæ Phædrus in fabulis asino adscribit, cùm ait: Psal. 4, 3. Iob 6, 6. Improborum supplicia cautos nos reddere debent. Phædrus lib. 5.

*Quidam immolasset verrem cùm sancto Herculi,  
Cui pro salute votum debebat sua,  
Asello iussit reliquias poni hordei.  
Quas aspernatus ille, sic locutus est:  
Tuum libenter prorsus appetere cibum,  
Nisi qui nutritus illo est, iugulatus foret.*

Nos autem quo animo erimus, qui tot hominum millibus fatales fuisse nouimus voluptates? Videmus non rarò funestos eorum exitus, qui se totos voluptati consecrarant, magisque tragicos nobis antiquitatis monimenta suppeditant: nōne æquum est, ut alieno tandem ma-  
lo

lo cautiore euadamus, & exemplo sapientiores? Occur-  
 rat animis nostris illud Psalmographi: *Letabitur iustus*  
 cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine pec-  
 catoris. id est, vt exponit D. Augustius, animaduertis  
 impiorum suppliciis errata corriget, & omnes vitæ suæ  
 actiones ad virtutem honestatemque reformabit. Nihil  
 enim, ait D. Prosper, sic nos ab omni peccato seruat im-  
 munes, vt amor Dei, & timor supplicij. Ad pœnam er-  
 go quæ peccanti debetur, mens, antequam peccet, adspi-  
 ciat; cruciatus ac dolores, qui solent sequi peccantem,  
 carnalibus incentiuis opponat; & nihil eam peccati ob-  
 lectabit, nec ad peccandum vlla delectatio corporalis  
 inclinabit. Hæc ille de voluptate.

Sed aliud præterea documentum è vanitate iuuentutis  
 elicit Ecclesiastes initio Capituli sequentis: vt, quoniam  
 instar rosæ alicuius aut lilij momento deflorescit, eam  
 diuinis obsequiis consecremus, prius quàm nobis elaba-  
 tur, & pigra senectus studiosis actionibus inepta nos oc-  
 cupet.

